

Petrus de Vinea

Ep. II 36 (Crebre nostrorum fidelium...)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

Ep. II 36 (Crebre nostrorum fidelium...)

1240

Magistris portulanis, de armatura facienda contra Ianuenses et piratas

1. Crebre nostrorum fidelium, quorum indempnitatem omni cautela possibili nostra procurat humanitas, auditorium nostrum querelae circumstrepunt, qualiter Ianuensium aliorumque rebellium nostrorum piratarum sepe leduntur incursibus, et ab eis in rebus dampna quam plurima, ac in personis subire coguntur iniurias, quibus debent, rebus ordinate procedentibus, continuas irrogare iacturas. 2. Fideles igitur nostros sic reddere uolentes indempnes, ut offendant etiam et dampnificent infideles, benigna quadam compassione prouidimus, ut in terris maritimae, qua parte potius eorumdem rebellium laborat infirmitas per homines, uidelicet quorum magis agitur interesse, si foret possibile, uel eorum in quorum fauorem hoc tam utile redundare potest negotium, adiunctis auxiliis (ad quos ipsos uerbis attrahi uolumus inductiuus, etsi suasioni forte non crederent, prout expedire uidebitur, ad ea precipimus compellendos), sine nostris expensis armari uascella competentia faciant. 3. Quae, ut seruitia ipsi commodius exequi ualeant, eis de uascellis nostris uolumus exhiberi, ad predictorum rebellium temerariis ausibus resistendum, ut, dum marinis uacantes incursibus fideles nostros offendere satagunt, unde forte sibi compendium captasse crediderint, inde sibi sentiant dispendium imminere. 4. Vestrae igitur fidelitati precipiendo mandamus, quatenus, diligenti consideratione prehabita, in terris uestrae iurisdictionis uicinis maritimae, per mercatores uidelicet, quorum magis uideritis interesse, ac alios, si predictis ex hoc importabile pondus ingrueret, duas aut tres galeas et tot barchettas, prout habito cum fidelibus

nostris diligenti consilio uideritis expedire, quas etiam de uascellis nostris decenter recalcatas et assis communitas eis assignare uos uolumus sine nostris expensis, faciatis bene et decenter armari. 5. Ad quod ipsos uerbis competentibus inducere studeatis, etsi forte inductioni resisterent, coheritione debita compulsuri: potius enim eos ad id, ex quo eorum indemnitatis sequitur, uolumus compelli, si id expediat, quam si tepescentes eosdem suis nostrisque commoditatibus subtrahantur, non sine nostri nominis aliquo ymaginario detrimento contingat depauperari fortuna. 6. Ne igitur predictum negotium, ad quod efficaciter procurandum intendere diligenter et studiose uos uolumus, ex aliquorum necessariorum defectu, inopia forte hominum prestante materiam, dispendia dilationis incurrat, de rebus nostrae curiae, quae sunt ad manus uestras, et eorundem fidelium subsidio et ad id uideritis opportunas, de munificentiae nostrae gratia per uos precipimus aliquid largiendum. 7. Cautelam tamen debitam super hiis adhibere uos uolumus, ut uos ad eos, quos super hoc statueritis, diligentem habeatis respectum, ne odio, pretio uel amore, aut extrinsecus aliis forte flectentibus, in hoc magis collaterales, aut minus exhibeant, uel ascribendi minori ponderi seu maiori et importabili debito, rationabiliter possunt queri; scituri, quod, si clamor iustus aliquis ad audientiam nostram propterea deferatur, id siquidem in caput uestrum nostra iuberet serenitas retorquendum. 8. Cum iis uero, quos super hoc uascellis ipsis duxeritis statuendos, ordinare curetis ut, si aliquos de infidelibus ipsis capi cum uascellis ipsis, fortuna fauente, contigerit, ad opus curiae nostrae debeant conseruare, ordinaturi nichilominus, ut uascella, quae propter hoc sic armata fuerint, ut mandamus, nullam moram aut residentiam in

portibus faciant, sed ad securitatem nostrorum fidelium
et rebellium piratarum offensam frequenter continueque
discurrant.